

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Io. Freinshemii Commentarii in libros svperstites Q. Cvrtii Rvfi

**Freinsheim, Johann
Curtius Rufus, Quintus**

[Argentorati], [circa 1639 oder später?]

Cap. 4

urn:nbn:de:bsz:31-103771

Comment. in Curtium. lib. 5. c. 3. n. 21. 22. 23. & c. 4. n. 2. 3. 4. 5.

cium, clausis secum ferreos portantes, qua per inaequaliter eminentia rupis poterant, scandunt. Sicubi nimis arduum & leue (sic scrib.) saxum occurbat, clausos per modica interualla figentes, quum velut gradus fecissent: primi insequentes extrahentes manū, postremi subleuantes eos qui praese irent, in summum euadunt. Quem locum compara cum Curtiano infra 7, 11, 13.

5, 3, 21. *TANTAE MOLIS*) Quibus etiam in oppugnationibus vrbium, non homines modo, sed & machinae comminuuntur. Vide Lipsii Poliorc. 5, 4. *PVDOR*) Qui hercle non minus vrit animos generosos: vt aliquando vel mortem praepopt. sic apud Flor. 2, 6, 17. Paulum puduit. Et 4, 2, 34. Curioni pudor suastit, vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur.

5, 3, 22. *AD EAM*) Ex Pal. est, quod praetuli vulgato; ante eam diem. *MARI*) Tangemus volente DEO, in supplemento.

5, 3, 23. *TRIGINTA*) Quid est, quod Siculus 17, 68. vnde totus hic locus expressus, trecenta stadia regressum dicat? longa locorum intercapedo est trecentorum stadiorum. Trecenta stadia efficiunt nouem milliaria Germanica cum sesquiquadrante; triginta autem non plenum milliarium. Nullum tamen reor mendum intercedere, eo quod Curtius tantum de angustiis loquatur, per quas ad vnum prope milliare est Alexander ingressus; Siculus vero de toto itinere & loco castris in campo delectis. Raderus.

5, 4, 2. *PRADICERE POTERAT*) In Serenissima Reginae CHRISTINAE Bibliotheca MS. fuit, in quo desiderabatur *ti poterat*, quod si recipimus, leg. est, *praediceret*.

PER MEDIAM) Extremae dementiae damnant Alexandrum, qui medium iter, sic enim vulgo legitur, interpretantur *regiam popularemque viam per campos*, Graecis *λιωφίρον*. si enim tale iter ea parte patuisset, Alexander cum aperto discrimine, nulla urgente necessitate, nullo temeritatis praemio, impeditos illos arduosque calles eligeret? Quanto aequiorem iudicem habuit Virum praestantissimum Bongarium, qui & veram lectionem diuinavit, adiutus MSS. suis, in quibus erat *per mediam iter*, quam lect. & alii MSS. fouent. Et sane apertior Persis qua Medos adspicit, situm locorum, atque descriptionem, quae mox num 5. subiicitur, introspecte. Hinc apud Diodor. 17, 68. periti locorum negant *alibi patere iter*, ea scilicet parte, qua ingredi conatus erat Alex. vbi igitur ista via regia? multoties tamen dierum circuitu intrari posse. Curtius etiam addidit qua intrari possit, *per Mediam* scilicet.

5, 4, 3. *INSEPVLTOS*) Vide supra ad 3, 12, 13. & citatos à Raderus Homer. Il. 4. vers. 110. & c. & u. versu 554. Alex. dies genial. 3, 3. Plutarch. Demosth. c. 29. Panormitanum lib. 1. de rebus Alphonfi regis. Virgil. Aen. 11, 102.

5, 4, 4. *QVIDAM*) An Pharnuches Artiani 4, 1, 16.

5, 4, 5. *PERSIS*) Persidem Strabo quoque lib. 15. descripsit, & post hunc Plinius 6, 27. Solinus cap. 54. Ammianus Marcellin. 21, 18. Sed parum inter se & cum Curtio consentiunt. Quicquid est terrarum & montium inter mare Caspium à septentrione, & sinum Persicum, seu mare rubrum à Meridie, Persidi assignatur. Hodie tractus ille, qui est inter Tigrim, sinum Persicum, mare Indicum, seu rubrum, Indum & Iaxartem & Caspium mare, à Sophis Persiae regibus possidetur, quam terrarum portionem Agrippa apud Plin. 6, 27. Medis, Parthis, & Persis attribuit. Raderus.

M. DC. STADIA) Longitudo ex Eratosthenis apud Strabon. lib. 15. sententia ad Caspiae portas 8000. stadiorum est, milliaria nostratia 250. Reliqua non est supra 2000. stadiorum, nostratia 62. & semis. Longitudo in mediterranea à Susis Persepolem stadiorum 4200. milliaria nostratia centum & vnum supra triginta.

Hinc

Hinc vsque ad Carmaniae fines 1600. stadia, milliaria nostratia 50. & hanc postremam dimensionem accepit Curtius tantum, qua regio porrigitur in longum. Raderus.

HOC DORSUM) Ab Occidente ergo ad Orientem per iuga & dorsa montium tendamus, Susis ascendamus, per Persidem transcamus, Carmaniam superemus, Drangianam percurramus, ac tandem in Paropanisum altissimum & asperrimum montem enitatur. qui Ptolemaeo Caucasus est, totius Asiae eminentissimus, glacialis & caluus, de quo infra copiosius. Ad hunc, Larnacem Noachi applicitam ait Goropius in Indo-Scythicis pag. 473. Hanc montium catenam intelligit hic, quam dorsum appellat Curtius, per quod post terrarum inundationem reliquiae humani generis in larnace seruatae paulatim ex Oriente & Paropanisio seu Caucaeo ad Babylonem sunt profecta, seque tandem in campos demiserunt, & Babylonem condidere. Est enim Caucasus mons Goropio ex antiquis id docent tam longe extensus, vt Taurum etiam qui à Pamphylia surgit, ab eodem deriuari dicant, & alios quamplurimos montes ingentes, qui pro diuersitate gentium diuersas sortiuntur appellationes, quos Plinius 5, 26. vnius Tauri nomine complexus est. Idem Plinius breuius de Persarum regnis: *Namque Persarum regna quae nunc Parthorum intelligimus, inter duo maria Persicum & Hircanum Caucasus iugis atolluntur.* Strabo pr. lib. II. clarissime: *Taurus eam continemem (Asiam) mediam fere cinguli in marem diuidit ab occasu ad ortum porrectus vnanque eius partem versus meridiem relinquens. Latus est Taurus sepe etiam 3000. stadiorum, longitudine (quanta etiam Asia est) 45000. à continente qua Rhodo opposita est, vsque ad extremitates Indiae & Scythiae Orientales.* Raderus.

5, 4, 7. *ARAXES*) De hoc vide Plutarch. de fluminib. cap. 23. Strab. lib. 15. Obseruandum ab Herodoto 1, 202. Araxem nunc Istro maiorem, nunc etiam minorem dici. Nam Ister Araxe haud dubie maior est circa ostia, minor circa fontes. Mela 3, 5. graphice nobis fontes, cursum & ostia Araxis proponit. Solin. cap. 15. cum Plinio 6, 9. fontes Araxis ex Heniochorum montibus, breuib. ab Euphrate interualis deriuat, atque in Caspium mare exonerat. Raderus.

IN MEDVM) Rara Medii fluminis apud alios scriptores & geographos mentio. Strabo tamen lib. 15. non praeterit, quem Araxe excipi affirmat, non Araxem Medo, vt Curtius tradit. Ferri à mari, ait Curtius, ad Meridiem, à Septentrione ergo & Caspio mari. *Minor annis*, inquit, eo quem accipit. Araxes enim maior. Sed cum à mari in Meridiem fluat, quomodo rursus in Septentrionem versus in Caspium exoneratur? cum enim Araxem excipiat, & Araxes in Caspium delabatur, vbi haeret Medus? Strabonem sequamur, qui Medum in Araxem decidere docet, per quem rursus ad Septentrionem in Caspium deuehitur. Quae sequuntur apud Curtium de Medo apto ad herbas gignendas &c. omnia rectius Araxi adscribuntur. Raderus.

A MARI) Alii à mare, quomodo potuisse dicere Curtium, ostendit Raderus exemplis Ouidii in Ibin vers. 198.

Et summum Lybico de mare carpat aquam.

Atacini: *Cingitur Oceano, Lybico mare, flumine Nilo,*

& Plauti: *Dicant in mare Communi captos.* Ipse tamen malit legere: *ad mare meridiem versus*, quod Medus in montibus Septentrionalibus ortus ad mare Persicum, quod è regione Caspii est, versus, iterumque flexus in Caspium demum delabitur. Habent & Impr. quidam, *ad mare & ad Merid. versus* mihi tamen vulgata longe videtur potior.

5, 4, 11. *LYCIUM CIPEM*) Ciuem ergo non cognomento, *Lygium*, vt perperam putat vir doctus. Similem historiam, vt fere solent variis accommodari miracu-

miracula, de Cyro tradit Iustin. 1, 6, 1. Somnio monito, ut quem primum postera die obtinuum habuisset, socium copis assumeret.

5, 4, 12. *MONSTRARET*) Rectius legas, monstrare.

5, 4, 13. *EORVM*) Impense placeat meorum, si absint & illa, qui sequuntur.

5, 4, 14. *PLURES IGNES*) Hoc consilium Frontinus contulit in lib. 2. stratagem. num. 15. cap. 5. quod est de insidiis. Huius generis stratagemata plura apud Liuium & Romanis in historiis leges, ut de Crasso contra fugitios pugnante, ex ipso Liuiio Frontinus quoque eodem cap. ostendit. Raderus. Imitatus id est Eumenes apud Plutarch. c. 28. apud Liuium 21, 32, 12. & 22, 42, 8. Hannibal. & 36, 10, 11. Ap. Claudius castra metatus latius quam pro copiis, & plures quam quot satis in visum erant, ignes quom accendisset, speciem quam quaesierat, hosti fecit: omnem ibi Romanum exercitum cum rege Philippo esse.

SAGITTARIIS EQVITIBVS) Inferitur alicubi, & sagittarius (dicens) & equitibus. Male. Non nouerant illi genus hoc equitum, non temere quidem alias Curtio etiam nominatum. Apud Arrianum frequentius est, qui *ἰππικῶνας* vocat. ut lib. 3. *Ἀναλαβὼν ἢ τὴν πῖταιγος ἰππίου καὶ τὴν ἰππικῶνους, καὶ τὴν πῖταιγος*. Vbi per viam moneo corrigendum [male: sic enim & 3, 4, 1. & 4.] leuiter *ἰππῆες*. Nec vertendum fuit de sociis equitibus, aut capiendum de amicorum ala: sed hoc dicitur, & hos sagittarios siue iaculatores cum pedibus etiam sagittariis assumptos. Acidalius. Id genus equitum alii vocant *ἰππικῶνας*. ut Hirtius de bel. Afric. cap. 19. *Sagittariis ac funditoribus, hipposoxisique quamplurimis*. & ipse Caesar, de bell. Ciu. 3, 4. CC. ex Syria à Comageno Antiocho missi erant, in his plerique *ἰπποτοξοτα*.

5, 4, 15. *EVM*) Bene habet hæc particula. Sic modo; ipsum regem.

5, 4, 16. *PERSEQUENTIVM REGEM*) Fallor, aut hæc verba non sunt à Curtio.

NE DVBITARET INGRESI) Variis glossematis hic locus ante conspurcatus, neque dum opinione mea purus purus. Lectionum diuersitatem apud Modium vide. Nos ex iis hoc exculpimus, quando pertinaciter libri scripti vocem *regem* habent, ab ea fontem omnis variationis. Hæc corrupta scholiis & additamentis occasionem dedit. Emendanda autem iterum *relegere*. Quod ex animi sententia dico, ac serio, spretis reliquis, ita scribo: *cum trepidantium b. i. exaudisset, relegere idipsum iter, q. p. p. f. ne dubitaret*. Non proprie, non venuste magis potuit: & inficeta præ illo, non *persequi* tantum vel *ingredi*, sed quidquid aliud excogitare ingeniosi glossographi potuissent. Acidalius.

5, 4, 17. *TRIDVI ALIMENTA*) Nihil hoc est, tridui alimenta portare militem, Stevvechium ad illa Vegetii 1, 19. verba consule: *Necessitas imminet, annonam pariter & arma portandi. Vtrumque onus, inquit, subeundum militibus fuit in expeditionibus arduis, sed Ciceronem Tuscul. quasi. 2, 16. audi: Nostri exercitus vnde nomen habeant, vides. deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre, si quid ad usum velint, ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus; arma, etiam membra milites esse ducunt. quæ quidem ita geruntur apte, ut si visus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, ut membris pugnare possint. Si quis vero Ciceroni, quasi in scholiis philosophicis hac de re disputanti fidem derogare ausit; aliud testimonium ex ipsa historia accipiat. Ammianus 17, 18. Tutum, inquit, ex annona decem & septem dierum, quam in expeditionem pergens ychebat ceruicibus miles. Hactenus Stevvech. Sed*

enim nec hoc mirandum. vsuuenit vt 30. dierum, & totius mensis cibaria suis humeris ferre cogerentur, quod plurium auctoritate confirmat Lips. Mil. Rom. 5, 2. Raderus.

5, 4, 18. *NIX*) Lilius 21, 35, 6. de copiis Hannibalis, in Alpiam transitu: *Fessis tadio tot malorum, minus etiam casus occidente iam fidere Virgilianum, ingentem terrorem adiecit &c.*

5, 4, 19. *INCERTVM*) His enim hominibus temere fides habenda non est, qui sapientius vel cum ipsius vitæ discrimine patriæ consulentes, hostem in impedita & auia loca perductum, in maximas angustias coniecerunt. Qualia exempla leguntur in epist. quæ inscribitur Alexandri ad Aristotelem: *Illi (duces) maiorem hosti quam mihi fauorem accommodantes, efficere pergebant, vt nos in exitalia serpentum & rabida ferarum genera ignaros regionum inducerent.* Idem expertus & Hannibal in Alpiam transitu apud Lilium 21, 34, 4. & 21, 35, 4. Ita Dani ductore Saxone Harvvaro perueniunt in difficilissima loca, casique sunt ad vnum omnes. Krantz. Wandal. 2, 40. Quibus exemplis adde quæ notantur ad Flor. 3, 11, 7. i.

SI CVST. FEFELLISSET) Recte sic legendum vidit Sebifius: nam profecto de duce itineris hic sermo est. Duces itineris, suspecti præsertim, & ignoti, asseruabantur, quod satis constat, additis sc. custodibus. Quamobrem duo hæc verba coniungi amant, vt apud Cicer. ad Attic. 10, 20. *custodie, quibus asseruor.* Lii. 24, 45, 10. *eum interdum solum custodes sequebantur, nocte clausum asseruabant.* Id etiam morum Alexandri fuisse satis constat ex Curtio infra 9, 9, 1. *duces securius asseruati profugerant.* Hinc est quod Xenophon *ὁμαζαυ.* 4. Cherisophum erroris grauissimi notat, qui ducem quem verbis affecisset, negligenter asseruauerit, cum facile coniecero potuisset, illum fugiturum esse, quod & accidit. Eandem ob causam Carthaginenses suspectos habuere Romani, quod quem Romam mitti placuisset &c. non custodissent, Lii. 34, 61, 6. Errorem autem ducis sui quomodo vltus sit Annibal, apud Lilium 22, 13, 9. reperies.

QUASI FERAS BESTIAS) Illæ enim in montibus rupibusque versantur, atque capiuntur. Pari similitudine vsus & alibi noster; & Lilius 22, 14, 10. *nos hic pecorum more per æstiuos salus, densosque colles exercitum ducimus.*

VEL ANIMA) Recte sic, non animo. sensus: seu fides ducem nostrum; seu vita deserat, perimus.

5, 4, 20. *EQVES*) Vix hic capio, cum pedites ægerrime ex his locorum resquis & rupibus eniterentur, quomodo equites fuerint secuti. Videtur Curtius non sine auxilio inuium iter profus in explicabile reddidisse præsertim equiti. Raderus. Pro Curtio responderi possit, habuisse equos locis asperis innutritos, quales describuntur Numidæ apud auctores, item Hispani, (Strabonem vide lib. III.) quorum certe multa millia per Alpes traduxit Hannibal, & ne hoc mireris, etiam elephantos, vt noueris, verum dicere Tacitum 15, 59, 3. *multa experiendo consieri, quæ signibus ardua videantur.* Certe in Romanis equitibus necessitas & timor id docuit, apud Lilium 22, 15, 9. *qui prope inuium callibus ad dilaorem profugerunt.* Vide Indicem *ata.*

DVCCES) Vulgo male *duces* erant, quod ab inepta glossa intrusum corripit sententiam. Et video iam hoc notasse Acidalium.

5, 4, 27. *EVADVNT ERGO*) Ibi Alexander cippum, seu arcum, seu absidem erexit, in qua viatorem secuturum admonuit de læuo via latere sequendo, dextro velut inuium vitando. Extat inscriptio in vita S. Marci Romani apud Rosvveid. l. i. vite Patrum p. 226. *Absidam istam fecit Alexander Philippi* [Ego tamen dubito an co-tempore huius nomen adscripturus fuerit Alex. idque iam supra ad 4, 15, 8. notau]

Comment. in Curtium. lib. 5. cap. 4. num. 37. & c. 5. n. 1. 2.

notavi] Macelo Imperator quando persecutus est Davium Regem Persarum. Qui terram hanc ingredi voluerit, ad manum sinistram vadat. Ad dexteram enim terra invidia & robibus & angustiis est plena. Hanc è Græco translata nemo dubitabit, qui auctores vitæ, non interpretes legerit. Raderus.

5. 4. 31. NECESSITAS) Staius 10, 487.

Est vbi dat vires nimius timor - - Silius 1, 557.

- - - clausos acervit extrema pericli,

Et fractis rebus violentior ultima virtus.

Tacitus H. 3, 60, 4. esse adhuc Pællio vires, acres si desperassent. & 12, 31, 5. illi obseptis effugis, multa & clara faciliora fecere. Sallust. Cat. 58, 10. Necessitudo etiam timidos fortes facit. Vide Lipsium Polit. 5, 18. Veget. 3, 21. ex desperatione crescit audacia. Hannibal hinc stimulat suos apud Liut. 21, 44, 10. vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inper victoriam mortemque certa desperatione abruptis; aut vincere, aut si fortuna dubitabit, in peratio potius, quam in fuga, mortem oppetere. Seneca de clem. 1, 12. Acerrima virtus est quam ultima necessitas extindit. Pulchre Xenophon hist. Græc. lib. 7. quo loco narrat Thebanos qui post profligatum Spartanorum exercitum, ipsam urbem inuaserant, vix centum à viris esse repulos, præmittit: ἔστι μὲν τὸ θεῶν αἰνῶδες, ἔστι δὲ λήθη, ἀς τοῖς ἀπειρονοῦσις ἕδεις ἂν κατασῆν. Id partim numini potest adscribi, partim dici, desperatis neminem posse resistere. Prudenter ergo à Scipione Numantiam obsidente, non est permessa pugna morituris, apud Florum 2, 18, 13. vbi notam nostram inspice.

5, 5, 1. LOCORVM FRAUDE) Hoc περὶ φροῦδῶς. fraus enim non cadit, nisi in hominem, & humani generis hostes stygios genios: nam cœlestes non fallunt. Poterant tamen & loca esse suspecta ab hostibus ad perniciem aliorum comparata & instincta, cum sæpe in pontibus, siluis, campis, montibus fiunt, quando scrobes fodiuntur, murices & stimuli, tribulique & pali defodiuntur. Raderus. Fraudem locis tribuit Curtius ob fossas præaltas, siue eas ad impedienda itinera hostes effecit, sent, siue ipsius naturæ impetus, vt supra 5, 4, 23. Simili figura dici solent infida loca. vt apud Flor. 3, 4, 5. infidum glacie flumen. in Tacito 1, 61, 2. fallaces campi &c.

5, 5, 2. OCCUPARE) Insertæ vulgo binæ voces thesauros dimissos: quas plane inuitias non Modius, non alius mihi persuadere. Emendo ego: properaret occupare thesauros ditissimos, expeditum iter esse. Inuitabat & incitabat eum, quod cum iter facile, tum præda esset maxima. Acidalius.

QVAMQVAM) Valde dubito de scriptura huius loci, nec enim ita in leui habendum puto hunc fluuium, vt diceretur expeditum iter esse, quamquam interfluas amnis, quem propter copiam aquarum nec nando superare possis, nec vado. Id autem sic fuisse, clarum ex sequentibus, nam Alexander ibi pontem struere necesse habuit. Scripsit omnino Curtius: expeditum iter esse, quam qua Ar. amnis interfluat. Hoc est, si inire rationem possit traiciendi fluminis, ceterum iter in expedito fore. Et sane apparet Alexandrum non temere ad fluuium procurrentem, ibi substitisse hiantem & circumspicientem, quomodo transfret, sed ante capto consilio, à peritis locorum edoctum, eo animo processisse, vt ad pontem fabricandum vicorum istorum, de quibus Curtius, materia vteretur. Vnde facile intelligitur fabros etiam ante præmississe, aut secum deduxisse: denique omnia ex præparato fuisse gesta.

CELERITATEM) In celeritate itinerum conficiendorum nullum ex omni memoria antiquitatis & posteritatis Alexander habuit parem, præter Iulium Cæsarem, cui plerumque etiam celeritas peperit victoriam, vt verum sit, quod Vegetius 5, 1. pro oraculo dixit, quia in reb. bellicis celeritas amplius solet prodesse, quam virtus. Cicero in epist. ad Attic. 8, 9, f. Cæsaris commendat celeritatem, quando di-